

**1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, September 20, 2013, Prot. N. 47834/13 CA—Reduction of a church to profane use—Request for free legal representation—Obligation of**

---

Prot. N. 47834/13 CA

*Reductionis ecclesiae in usum profanum*

(D.na N. et alii—Congregatio pro Clericis)

In causa de qua supra, litteris diei 7 augusti 2013 ad Cl.mam D.nam N. datis, hoc Supremum Tribunal statuit: *a*) terminum peremptorium viginti dierum ut Cl.ma pars recurrans suetam cautionem solveret, et *b*) terminum triginta dierum ut advocatum-procuratorem sibi constitueret.

Instantia autem diei 28 augusti 2013, pars recurrans petiit gratuitum patrocinium et exemptionem ab obligatione deponendi consuetam cautionem necnon, quatenus negative, prorogationem sex mensium terminorum statutorum ob difficultatem oeconomicam.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Perspecto quod constat Cl.mam D.nam N. litteras huius Supremi Fori die 12 augusti 2013 accepisse;

Attento quod gratuitum patrocinium tantum peti potest ad normam art. 31, §1 *Legis propriae* H.S.T., id est probationes exhibendo, quibus recurrentis oeconomica condicio apparet, quodque pars recurrans id optime novit ex folio (p. 2, n. 6), quod ei una cum illis litteris datum est;

Perspecto quod pars recurrans nihilominus suam condicionem oeconomicam per documenta haud demonstravit, quam ob rem eius instantia diei 28 augusti 2013 considerari nequit;

Cum pars recurrans intra terminum peremptorium statutum, immo hactenus, cautionem non deposuerit;

Animadverso quoque quod onus deponendi cautionem ei incumbit qui adversus decisionem Congregationis recurrit, non autem Auctoritati ecclesiasticae resistenti;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae Substituto,

**decrevit:**

**Causam peremptam declarandam esse et facto declarari.**

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 20 septembris 2013.

+ FRANCISCUS DANEELS, o. praem., *Secretarius*  
Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G., *Moderator Cancellariae*